

Petrus de Vinea

*Ep. V 117 (Intellectis per
uos et uestrarum seriem...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 117 (Intellectis per
uos et uestrarum seriem...)*

luglio 1247

Responsalis cum significatione rumorum et hortatione.

1. Intellectis per uos et uestrarum seriem litterarum et gratanter receptis rumoribus de uictoria et triumpho per uos laudabiliter habitis contra rebelles Imperii, exinde concipientes gaudium in immensum, studium uestrum euident et sollicitudinem uestram non immerito commendamus, cum operum uestrorum potens efficacia in hiis et in aliis uestram fidem sinceram, quam erga imperatoriam maiestatem incessanter geritis et habetis, commendabilem representet. 2. Et ecce quod ad gaudium noua ardua et prospera de sinistro, quod accidit in ciuitate Parmensi, uobis presentibus intimamus. 3. Noueritis nos ab illustri uiro domino H., rege Sardiniae, sacri Imperii in Romaniola uicario generali, et cetera, recepissee litteras sub hac forma: 4. Heinricus et cetera, nobili uiro Friderico de Antiochia et cetera. 5. Verum, cum ad omnem exaltationem sacrae imperatoriae maiestatis intendere sine intermissione aliqua teneamur, uos pro parte serenissimi patris nostri instanter requirimus, et ex nostra rogamus attentius, quatenus, sicut umquam circa imperialia obsequia, ad quae deditos uos fore cognoscimus, uigiles et solliciti extitistis, ita ad presens et in futurum more solito magis, si dici potest, in omne augmentum et honorem imperialis culminis assistentes, per operum efficaciam uester affectus, quasi in naturam conuersus, in conspectu serenissimi patris nostri per effectum operis demonstret laudabilem et acceptum. 6. Propterea noueritis per presentes, quod die, qua litterae pro parte eiusdem regis illustris, carissimi fratris nostri, nobis presentatae fuerunt, per nuntium nostrum specialem didicimus manifeste, quod serenissimus pater noster apud Taurinum existens,

intellecto Parmensium nefando processu, iter arripuit uersus Parmam feliciter ueniendo in brachio excelso et manu potenti ad ipsorum Parmiensium malitiam, ut conuenit, totaliter refrenandam. 7. Et quod iam cum innumerabili exercitu apud castra applicuerat contra Parmam et usque ad caput pontis ciuitatis ipsius, et quod ad tertiam partem terrae illius capi et expugnari fecerat uiriliter et potenter. 8. Et sic successiue omnem ipsorum fortitudinem expugnando, tam ciuitatem ipsam quam comitem Bonifacium et alios plures Imperii proditores existentes, uelut retrusos in eadem, uictrix manus Imperii capiet et conteret, prout decet.